

P R A E F A T I O

in charta bombycina scriptus circa Seculum XIV. Reliqui duo Bibliothecae Vaticanae, vnus olim fuit Francisci Barbari, Patritii Veneti, alter Fuluii Vrsini, vterque scriptus circa Secul. XV signatus num. 1619 et 1336.

Quinque Florentini in Bibliotheca Medicea significantur literis A, B, C, D, E.

Codex A, chartaceus est, Seculi XV. num. 1642. in fol.

Codex B, item chartaceus, Michaelis Apostolii, Seculi XV. num. 1643. in fol.

Codex C, papyr. Seculi XVI. num. 1645.

Codex D, num. 1794. in duodec.

Codex E, bonae notae, Seculi XIII. num. 1740.

Tres Parisienses in Bibliotheca regia significantur numeris 1, 2, 3.

Codex igitur Paris. 1. Secul. XI. exaratus, num. 1302 paginarum 154. duos priores libros tantum continet.

Codex Paris. 2. quartum librum modo habet.

Codex Paris. 3. Apostolii manu scriptus, sign. num. 1643 primum, secundum librum, et maximam tertii partem habet.

Codices Parisienses integros comparatos fuisse admonet *Owenus*; reliqui autem in iis tantum locis consulti fuerunt, quos aut ipse *Edwards* aut alii viri docti vitii suspectos habuerant. In ipso variarum lectionum Indice p. 334. reperio hanc *Oweni*, vt puto, annotationem: *Obiter hic obseruandum est, MStos Vaticanos 2. et 3. cum 1 ubique, vt mihi videtur, consentire, nisi aliter significatum fuerit; quod sat erit semel monuisse.* Quae viri docti coniectura quam vera sit, meum non est iudicare. Illud tamen obseruasse mihi videor post Parisiensem primum, Vaticanum primum cum Florentino E facile reliquis omnibus praestare. Codicis Florentini D varietas nulla commemoratur ultra libri II. caput primum; ita vt in eo desinere Codex videatur. Parisiensis primus multa cum cura scriptus esse videtur;